



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio CLXII. De encomiis, quibus SS. Patres crucem Dominicam exornant, quæ servire possunt pro pluribus conceptibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

CONSIDERATIO CLXII.

De encomiis, quibus SS. Patres crucem  
Dominicam exornant, quæ servire possunt pro  
pluribus conceptibus.

*O crux venerabilis, quæ salutem attulisti miseris, quibus  
te offeram praconiis, quoniam vitam cœliternam nobis  
preparasti. Ecclesia.*

1.

Psal. 93. 5.

**R** Ecce David: *Exaltate Dominum Deum nostrum: Et adorare scabellum  
pedum eius: quoniam sanctum est.* Scabellum pedum Dei olim erat  
arca Dei, supra quam erat propitiatorium, quia misericordia  
supereminet in Christi operibus. Si tanto honore David &  
Hebræi arcam prosequerantur; quanto magis nunc a Chri-  
stianis honoranda erit SS. Crux Dominica, per quam salvari & libera-  
ti sumus? Audi Hugonem Cardinalem: Et adorare scabellum pedum  
eius, id est, crucem sanctam, cui pedes Domini confixi steterunt; hoc  
autem scabellum adorat, qui poenitentiam reverenter agit: *Adorabitur  
in loco, ubi steterunt pedes eius.*

Hugo Card.  
hic.

Psal. 131. 7.

Cant. 4. 4.  
Sanderus in  
Alceter. Dec.  
4.

2. Idem David Turrim fortissimam ac munitissimam in Sion  
ædificavit cum propugnaculis: *Mille clypei pendent in ea. omnis armatura  
sortium.* Quid aliud dixeris, ait Sanderus, esse Passionem & crucem,  
quàm Turrim Davidicam in Sion erectam, tum in refugium civitatis  
& amicis in tutelam admittendis; tum in conversatione armorum bel-  
licorum, è qua subministrèntur ad omnem usum. Et nunquid, anime  
mi, tempore belli summoperè necessarium est armorum repositorium,  
unde sumantur ad propulsandum hostem, & defensionem sui arma  
convenientia. Tempus belli est tempus vitæ nostræ, quàm diu enim  
vivimus, bellandum nobis est cum Mundo, carne, cacodæmone, aliis-  
que hostibus. Nec desunt arma omnis generis, quibus possumus re-  
sistere.



listere. Sta hic Lector prudens & Staurophile, & pio mentis & corporis oculo Crucifixum Jesum intuere; hic invenies Turrim fortissimam in Sion erectam; Aspice SS. Vulnere ejus, tanquam tutissima receptacula; Contemplare clavos, lanceam & cetera passionis instrumenta, & experieris, quod mille clypei pendeant in ea, & omnis armatura fortium; Quare ergo timidus es, & hostem invadentem times? Ecce ipse Dominus, & hic Crucifixus est: *Turris fortitudinis à facie* psal. 60. 4. inimici.

3. Tremenda est illa æternæ Veritatis sententia: *Facilius est camelum* Math. 19. 23. *per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cælorum.* Ecce quam difficile sit divitem salvari? Quid ergo illis faciendum? Deponant opum suarum gibbos in manus pauperum, se humiliant, de peccatis conterantur, & per gratiam Dei ingredientur per foramen acus in cælum, hoc est, per Christum Crucifixum, qui secundum S. Paschasium & Hugonem Cardinalem est illa acus, per cujus foramen & SS. Vulnere introire possunt in regnum cælorum; unde Hugo: *Per foramen* Hugo Card. *acus, id est, fidem Vulnerum Christi, qui in adventu primo perforatus est, & in* hic. *secundo perforabit ad modum acus.*

4. Job vir patientissimus inter tot persecutiones, rerumque ad-  
veritates ac corporis dolores per annum ferè integrum constitutus, à  
DEO flagitavit, ut in statera justa appenderetur: *Appendat me in statera* Job. 31. 6. *justa, & sciat Deus simplicitatem meam, id est, innocentiam meam.*

Job Christi, viri dolorum typus fuit, hic in statera appensus est:  
cum crucifixus est, ut in ea peccata omnium libraret, & exsolveret;  
cum quo & duo latrones crucifixi sunt, unus à dextris, & alter à sini-  
stris: *Erat autem, ut præclare commentatur D. Chrysostomus, medius*  
*Salvator, tanquam statera veritatis unum elevans consistentem, & alterum blasphe-*  
*mantem condemnans.* Ecce duo erant ad latus Christi, unus convertitur,  
quis non speret? unus damnatur, quis non timeat? Etiam si sit apud  
Jesum Crucifixum?

4. Adam, ubi post peccatum admissum vocem Domini in para-  
diso deambulantis audivit, sine mora *abscondit se & uxor ejus à facie Do* Gen. 3. 8. *mini Dei in medio ligni paradisi.* O Adam! quid hoc? quare asylum tuum  
ponis, & quæris sub caducis & inanibus foliis, & quidem contra faciem  
irati & omnipotentis Dei, quomodo ista te folia protegent?

2. Diez: Ex eo tempore videtur Dominus peccatoribus cogni- Diez hic.  
tionem quandam dedisse, quâ perciperent, asylum ab ira Dei optimum  
fore sub arbore vitæ, id est, cruce. Proinde rectè S. Joannes Damasc. S. Jo. Damasc.  
cenus: Lignum, inquit, illud vitæ, quod à Deo in paradiso constitum l. 4. c. 12.  
est, præclaræ crucis figuram gessit; quoniam enim mortis aditus per  
lignum

Hhhh 2

lignum



lignum patuerat, consentaneum erat, ut per lignum quoque vita & resurrectio donaretur.

Ca. 8. 5.

6. Vox Sponsi ad Sponsam: *Sub arbore malo suscitavi te*; per quam arborem malum omnes Patres arborem crucis accipiunt; voluit enim DEUS congruo suæ justitiæ & Sapientiæ decreto Christum non gladio, non igne, non lapidibus, non alio tormento, quam ligno crucis occidi, ut commissum in ligno à protoparentibus peccatum per lignum crucis expiaretur, *ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret.* Unde non incongruè Philo Carpathius: Hæc malus salutifera, ait, si ad arborem respicias, Crux est humanæ salutis auctoritas, in qua salus mundi, Auctorque pependit. Si verò ad pomum ejus, ad fructum suavissimum, atque sanctissimum, cœleste totum, & salutare malum corpus est Iesu Christi.

Philo Carpathius hic.

Levit. 14. 1.

7. Levitici decimo quarto describitur ritus lustrationis, quo olim homo leprosus legaliter erat purgandus; ubi Sacerdos expiandum aspergebat Sanguine passeris occisi, & quidem per alium passerem vivum, alligatum baculo cedrino, cum coco & hyssopo, quem passerem vivum in aëra avolare sinebet; & sic leprosus mundabatur. Cornelius à Lapide allegoricè per lepram peccatum intelligit, per cedrum crucem, per cocum Sanguinem Christi, per hyssopum gratiam Spiritûs Sancti. Passer vivus adumbrabat Deitatem in Christo, passer moriens humanitatem ejus, hæc enim pro lepra peccati nostri in arâ crucis immolata.

Exod. 32. 15.

8. De Moyse refert Scriptura: *Et reversus est Moyses de monte portans duas Tabulas testimonii in manu sua, scriptas ex utraque parte.* Neque hoc caret mysterio, quia omnia illis facta sunt in figura. R. B. Petrus Damiani per duas illas Tabulas crucem Dominicam subaudiri: *Ipsa Tabula, inquit, quæ Dei digito scripta sunt, crucis Dominica prætulit Sacramentum: Denarius enim numerus per X. literam, quæ crucis exprimit speciem, designatur.*

B. Petr. Damiani de Invent. S. Cruc.

Sim. Cass. l. 13.

9. Adam & Eva, protoparentes nostri ubi contra expressum Dei mandatum in paradiso peccarunt decerpendo vetitum fructum de arbore scientiæ boni & mali: *Tunc facta est arbor illa, ait Simon Cassianus, scala descendens in barathrum.* Et quid in hac re desperata remedii? R. idem: *Crux facta est scala ascensionis in cælum.* Unde S. Hieronymus: Ille pependit in ligno, ut peccatum quod commiseramus in ligno scientiæ boni & mali, ligno deleret appensus, & nobis de scala barathri pararet scalam usque ad cælum.

S. Hieron. l. 12. c. 3. in ep. ad Galat.

10. Jacob Patriarcha ubi mirabilem illam scalam vidit à terra usque ad cælum pertingentem, & in ea Angelos Dei ascendentes & descen-




descendentes, atque in supremitate illius ipsum Dominum innixum  
 scilicet, evigilans de somno exclamavit: *Terribilis est locus iste: Verè hic non* Gen. 28. 17.  
*est aliud nisi domus Dei & porta cæli.*

Tertullianus libro de fuga existimat Jacobum vidisse in hac vi-  
 sione Christum, qui est domus Dei, & simul porta, per quam intramus  
 in cælum. Hugo Cardinalis per domum Dei & portam cæli Sanctam Hugo Card.  
 crucem Dominicam intelligit: Non est hic aliud, inquit, nisi domus hic,  
 Dei, & porta cæli: Crux dicitur domus Dei, quia in ea habitant filii  
 Dei. Et pergit: Porta cæli dicitur, quia non nisi per eam intratur in  
 regnum, unde Act. 14. Per multas tribulationes oportet nos intrare in  
 regnum cælorum; & Psal. 117. Hæc porta Domini, justi intrabunt  
 per eam, & non nisi per crucem, per quam solum venit ad lucem.

11. Rectè Salvator orbis: *Nemo lucernam accendit, & in abscondito* Luc. 11. 33.  
*ponit, neque sub modio: Sed super candelabrum, ut, qui ingrediuntur, lumen vi-*  
*deant.* Christus lux est: *Ego sum lux mundi,* Candelabrum Crux, in qua Jo. 8. 12.  
 exaltatus est; ita Hugo Cardinalis: Candelabrum Crux est, super Hugo Card.  
 quod fuit posita lucerna ad illuminationem totius Ecclesiæ, dum in hic.  
 crucem actus est: Et idcirco, ait Alvarez, tempore Passionis obscura- Alvarez.  
 tus fuit sol, quia soli crucis radii digni erant, qui & orbem & oculos Ill. 322.  
 hominum illustrarent. Ideò & ad finem mundi sol obscurabitur, quia  
*tunc apparebit signum Filii hominis.* Math. 24. 30.

12. Vidit quondam Joannes quatuor Angelos, quibus datum est  
 nocere terræ & mari; & dum quatuor orbis ventos tenerent, ne fla-  
 rent amplius super terram, supervenit alius: *Et vidi alterum Angelum* Apoc. 7. 3.  
*ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi, & clamavit voce magna*  
*quatuor Angelis: Nolite nocere terra & mari, neque arboribus, quoadusque signe-*  
*mus servos Dei nostri in frontibus eorum.* S. Ambrosius censet hunc Ange-  
 lum ab ortu Solis ascendentem, & signum Dei vivi habentem, fuisse  
 Christum; magni consilii Angelum, hic Electos & servos suos, imò  
 omnes Beatos in cælo in frontibus signare solet signo crucis, hoc enim  
 est signum Dei vivi, per quod redempti, & salvati sumus, *ut significetur,*  
*ait Cornelius? eos meritò crucis, tam Christi quam sua cælum possidere.*

O beati, qui habitant in domo tua Domine!



Hhhh 3

CON-